





577.  
21  
1724.1.  
ASSERTIONES IURIS FVNDAMENTALES.

DE

CONTRACTIBVS  
INNOMINATIS,

QVAS

PRAESIDE

DN. IOHANNE GEORGIO  
MVLHAVSE,

I. V. D. & P. P. O.

IOHANNES GAUDENTIVS  
KRÜPER,

FVLSENSIS, AVTOR & RESPONDENS,

DIE XX. IVNII MDCCXXIV.

IN AVDITORIO IVRIDICO

HORIS CONSVETIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT.

*ET*  
**DEO,**  
**ABBATI**  
*ET*  
**PRINCIPI FVL-**  
**DENSI,**  
**PATRIAE,**  
**PATRONIS**<sup>QVE</sup>

*CONSECRAT.*

---

*MARBVrgI CATTORVM,*  
TYPIS PHILIPPI CASIMIRI MÜLLERI, ACAD. TYPOGR. ET BIBLIOPOL.



I. N. J. C.

ASSERTIO 1.

Contractus est conventio sua natura obligationem efficacem producens, *L. 7. §. 1. de pact.*

II.

Dividuntur contractus præcipue in veros vel quasi contractus; Veri iterum sunt vel nominati vel innominati *d. L. 7. §. 2. L. 1. pr. vers. quoties enim ff. de æstim. L. 3. ff. de præsc. verb.* quæ distinctiones juri Gentium incognitæ Jure civili introductæ sunt.

III.

Nominati sunt, qui ob majorem frequentiam proprium & speciale nomen habent, actionemque certam & specialem producunt.

IV.

Innominati sunt, qui ob minorem frequentiam speciale nomen non habent, nec specialem actionem sui nominis producunt, causam tamen habent.

V.

Causa hæc consistit in datione vel facto unius sub lege mutua præstationis, ut nimirum alter vicissim quid det vel faciat *L. 7. §. 2. de pact. L. 5. pr. & §. seqq. de præscr. verb.*

A 2

VI. Sola

## VII.

Sola igitur datione vel facto perficiuntur, cum initium obligationis ex datione vel facto sit; Quare etiam ad reales referuntur, æquum enim visum fuit Romanis, ut, si unus ex parte sua præstiterat, alter quoque, cui quid præstitum vel factum erat, ad promissum implendum obligetur, vel id, quod interest, præstet.

## VIII.

Conventio autem sola de dando vel faciendo, quatenus nudo pacto inita est, jure Romano actionem non producit, *L. 1. §. 2. de permut. L. 15. de P. V.* cum conventio hæc contractum modo præparet *L. 3. C. de rer. permut.* ut tamen si stipulatione inita sit, actio ex stipulatu competat *L. 3. L. 7. C. de rer. permut.*

## VIII.

Per dationem is, qui accepit, solum obligatur, non is, qui dedit, cum dans accipientem sibi, non se alteri obligaverit. Dans igitur pœnitere, & quod dedit conditione causa data causa non secuta repetere potest. *L. 3. §. 2. L. 5. pr. de condiç. caus. dat.* nisi transactionis & litis finiendæ gratia quid datum sit *L. 39. C. de transact.*

## IX.

Hæc pœnitentia locum modo habet, si quis dedit; ut vicissim quid detur vel fiat; qui enim fecit, ut vicissim quid fiat vel detur, pœnitere non potest, cum factum infectum fieri nequeat, nisi facto hoc in partem adversam quid translatum sit, puta si quis accepto tulerit debitori suo, ut nomen Titii delegaret. *L. 9. ff. de præscr. verb.*

## X.

Quodsi accipiens ad implendum se præparavit, eoque nomine expensas fecit, pœnitens alterum indemnem servare

servare debet, ne consilii mutatio in detrimentum accipien-  
tis fiat *L. 5. pr. de condict. caus. dat. caus. non secur. L. 75. de  
regul. Jur.*

XI.

Reus tamen, qui ad implendum convenitur, præstando  
id, quod interest, liberatur, sive obligatio consistat in dan-  
do sive in faciendo. *L. 5. §. 1. de præf. verb.*

XII.

Secundum principia Juris Romani igitur tres præcipue  
casus separandi sunt. Vel enim (1) conventio sola de dando  
vel faciendo inita est, & nulla competit actio; vel (2) datio  
aut factum intervenit, & is qui dedit pœnitere remque condi-  
tione causa data causa non secuta repetere, aut actione præ-  
scriptis verbis experiri potest, ut vicissim detur vel fiat, aut  
interesse præstetur, is autem qui fecit, pœnitere non potest  
sub tradita tamen in assertione IX. limitatione; vel (3) ab  
utraque parte præstatio facta est, & hoc casu pœnitentia  
utrinque cessat.

XIII.

Moribus seculi, cum pactum eandem cum stipulatione  
efficaciam habeat, conventionem præsentem & certa de dando  
vel faciendo inita, valida competit actio, & quidem con-  
dict. ex *canone I. de pact.* Ut tamen agens ex sua parte ad  
implendum paratus sit, secus enim exceptio implementi non  
secuti ipsi obstat.

XIV.

Moribus quoque is, qui dedit, pœnitere non potest,  
cum pœnitentia cesset, si stipulatio intervenit *L. 3. L. 7. C. de  
rer. permut.* modo accipiens vicissim ad præstandum sit pa-  
ratus: Si enim non vult, vel alias in culpa vel mora est, res

data repeti, vel actio præscriptis verbis ad id, quod interest, institui poterit.

XV.

Sed & hodie, qui ad dandum obligatus est, præstando id, quod interest, non liberabitur, cum non liberetur, qui ex stipulatione ad dandum obligatus est.

XVI.

Contractus innominati dividuntur communiter in regulares & irregulares.

XVII.

Regulares dicuntur, qui longius abeunt a contractibus nominatis: cujusmodi quatuor recensentur in *L. 5. in fine pr. de præsc. verb.* Do ut des, Do ut facias, Facio ut des, Facio ut facias. Quamvis nihil impediatur hos contractus etiam negative concipi, v. g. Do ne facias, do ne ad judicem eas, *L. 2. pr. S. 1. ff. de condic. caus. dat.*

XVIII.

Sed & hi contractus invicem permisceri possunt, si aliquid datur, ut aliquid detur vel fiat, utpote si tibi dem aream, ut ædificium mihi exstruas, & partem areæ reddas *L. 13. §. 1. de præscr. verb.*

XIX.

Contractus do ut des definitur communiter, quando genus cum genere vel specie commutatur.

XX.

Hunc contractum a permutatione differre volunt, quod hoc contractu, quemadmodum dictum, genus cum genere aut specie, permutatione vero species cum specie permutetur, quia vero in *L. 5. pr. §. 1. ff. de præscr. verb.* contractus do ut des & permutatio, synonymice capiuntur, vix est, ut eos invicem separemus.

XXI. Do



XXI.

Do ut facias est, quando res datur, ut vicissim aliquid fiat, *L. 5. pr. & §. 2. de præscr. verb.*

XXII.

Ubi pecunia data est, ut aliquid fiat, siquidem factum locari solet, negotium est locatio conductio, si non solet locari contractus do ut facias *L. 5. §. 2. de præscr. verb.*

XXIII.

Hoc contractu is, qui dedit, dominium transferre debet, *L. 5. §. 2. de præscrip. verb. arg. L. 1. §. 2. de rer. permut.*

XXIV.

Re igitur aliena data danti actio præscriptis verbis non competit, cum a sua parte non impleverit, sed conditio causa data causa non secuta *L. 1. §. 3. & 4. de rer. permut.*

XXV.

Accipiens siquidem ex sua implevit, ex articulo do ut facias (cum contractus æstimetur ex eo, quod in principio actum est *L. 2. pr. mand. L. 1. §. 13. de positi.*) actionem præscriptis verbis habet ad interessè, sive res evicta sit, sive non *L. 7. §. 2. de pact.*

XXVI.


Si accipiens non implevit, interest; an in mora sit, an casu fortuito fuerit impeditus.

XXVII.

Si in mora est, res vel condici, vel actio præscriptis verbis ad interessè institui potest, *L. 7. ff. de præscr. verb.* Si casu impeditus est, res condici non poterit *L. 23. in f. de R. l. maxime hodie.*

XXVIII.

Facio ut des est, quando aliquid fit, ut alter aliquid det. *L. 5. §. 3. de præscr. verb.* XXIX.



XXIX.

Facio ut facias est, quando aliquid fit, ut alter vicissim quid faciat *L. 5. §. 4. de præscr. verb.*

XXX.

Ex his contractibus oritur actio præscriptis verbis, quasi quæ negotium, ut gestum est, integris verbis præscribit, quæ etiam vocatur actio civilis *L. 7. §. 2. de pact. L. 1. §. 1. & 2. L. 5. §. 2. L. 15. L. 16. ff. de præscript. verb.* quia jure civili siue interpretatione Prudentum est prodita, quamvis Prætor quoque eam in quibusdam speciebus suæ Actionis obtinere voluerit *L. 2. §. 2. L. 14. de precar. utilis L. 6. C. de transact. quia comparata est ad instar actionis directæ ex contractibus nominatis, in factum L. 22. de præscr. verb.* quia secundum factum, quod narratum est, conceditur, *L. 6. in f. C. de Transact. incerta L. 6. C. de rer. permut. L. 3. C. de inutil. stipul.* quia nascitur ex contractibus incertis proprium nomen non habentibus *L. 1. pr. v. quotiens de estimat. incerti, quia interesse, quod incertum est, persequitur L. 5. §. 2. de præscr. verb.*

XXXI.

Hæc actio datur vel ad vicissim dandum, vel ad id, quod interest. An etiam, ut vicissim quid fiat? Negatur, sed hoc casu saltem id, quod interest, petitur, vel id, quod datum est, condicatur, *L. 7. de præscr. verb.* cum ad factum nemo præcise compelli possit; est autem stricti Juris.

XXXII.

An etiam ex contractu facio, ut des, datur? Affirmamus, cum satis certa sit regula de hac actione ex contractibus non nominatis danda, *L. 15. §. f. de præscr. verb.* modo dolus non manifesto arguatur, si enim dolus manifesto arguitur, actio de dolo competit *L. 5. §. 2. de præscr. verb. L. 4. C. de dolo.* ibi de dolo tibi decerni actionem, XXXIII.

XXXIII.

Contractus irregulares dicuntur, qui nominatis proprius accedunt, & generale nomen habent, specialem tamen actionem non producent. Cujusmodi sunt contractus æstimatorius & permutatio.

XXXIV.

Contractus æstimatorius est, quando res æstimata vendenda datur, ut accipiens vel eandem reddat, vel æstimationem præstet *L. 1. pr. §. 1. de Æstim. L. 17. §. 1. de præscr. verb.*

XXXV.

Super hoc contractu Veteres Juri dubitarunt, an emptio venditio sit, quasi res vendita sit propter æstimationem, an locatio conductio, quasi opera alterius conducta sit, an mandatum, quasi res alteri vendenda fuerit mandata.

XXXVI.

Differt tamen ab his negotiis in genere, quod contractus hic sit innominatus, reliqua negotia sint contractus nominati. In specie vero ab emptione venditione (1) quod contractus hic sit realis, emptio venditio sit contractus consensualis. (2) Quod hoc contractu inito liceat vel rem restituere vel æstimationem præstare, emptione venditione vero inita non liceat rem restituere, sed pretium præcise præstandum sit. A locatione conductione operarum, quod (1) contractus hic sit realis, locatio conductio sit consensualis. (2) quod in hoc contractu merces non præcise intervenire debeat, quod secus est in locatione conductione operarum. A mandato, quod contractus hic sit realis. mandatum sit personalis, (2) quod contractus hic mercedem admittat, mandatum non, sed & in mandato mandatarius omne id, quod accipit, restituere tenetur, quod tamen aliquando secus est in hoc no-

fito contractū, (3) quod ex hoc contractu condemnatus ex dolo non fiat infamis, in contractu mandati vero condemnatus ex dolo fiat infamis *L. 6. §. 5. de his qui not. inf.*  
 (4) quod in hoc contractu praestetur dolus & culpa levis *L. 1. §. 1. ff. de aestim. act. L. 17. §. 1. de praescript. verb. in mandato culpa levissima.*

XXXVII.

Differt etiam a societate, cum in hoc contractu lucrum non sit commune, quod tamen secus est in societate.

XXXVIII.

Quodsi igitur res certo pretio aestimata datur, ut lucrum proveniens commune sit, societas potius contracta censetur, alter enim rem, alter operam confert, §. 2. *I. de societ. L. 44. L. 52. §. 2. pro soc.*

XXXIX.

Contractu aestimatorio inito dominium non transfertur, cum hęc intentio contrahentium non sit, sed ut accipiens rem vendat.

XL.

Quoad periculum vero interest, an quasi conditionalis emptio venditio ita inita sit, ut res ipsa reddatur, aut pretium refundatur, & hoc casu periculum est accipientis, *L. 1. §. 1. de Aestim. L. 10. §. 5. de Jur. dot.* ut tamen dominium non transeat, nisi accipiens declaraverit, quod pro pretio determinato rem retinere velit: Tunc enim negotium degenerat in emptionem venditionem, ac dominium utique transfertur; An vero aestimatio cum in finem adjecta sit, ut accipiens sciat, quanti rem vendere possit, & hoc casu interest iterum; An dans accipientem rogaverit vel neuter alterum, an accipiens se obtulerit.

XL. Si

XL I.

Si dans accipientem rogavit vel neuter alterum, sed mutuo confenserunt, periculum est dantis, ut tamen accipiens dolum ac levem culpam præstet, *L. 17. §. 1. præsc. verb.*

XL II.

Si accipiens se obtulit, ipse periculum sustinet, cum negotium sui commodi gratia suscepisse videatur, adeoque periculum merito sustineat *L. 1. §. 1. de æst. act. L. 17. §. 1. de præsc. verb.*

XL III.

Ubi res majori pretio, quam inter partes convenit, vendita est, sufficit æstimationem conventam præstare; quod igitur ulterius acceptum est, lucro accipientis erit *L. 1. §. 1. de æstimat. act. vide L. 34. de R. J.*

XL IV.

Quodsi minori pretio, quam convenit, est vendita, ille, qui dedit, rem vindicare potest, *arg. L. 1. §. 3. de excep. rei vend. nisi, quod deest, suppleatur, venditor autem hoc casu ad id, quod interest, tenetur, arg. L. 13. L. 9. rem rat. hab.*

XL V.

Ex hoc contractu oritur actio præscriptis verbis de æstimato sive æstimatoria, quæ est bonæ fidei *§. 28. I. de act.*

XL VI.

Hæc est vel directa vel contraria.

XL VII.

Directa datur ei, qui rem vendendam dedit, ejusque hæredi contra eum, qui rem accepit, ejusque hæredem, ut rem reddat incorruptam vel æstimationem præstet *L. 1. §. 1. ff. de æstimat. act.*

XL VIII.

In arbitrio autem accipientis est, an rem restituere, an æstima-

æstimationem præstare velit, cum in alternatis reo electio  
competat *L. 10. §. 6. in f. de Jur. dot.*

X L I X.

Contraria datur ei, qui rem accepit, contra eum, qui  
dedit, ut (1) siquidem rem alienam dedit, pro qua æstimati-  
onem accepit, id quod interest, præstet. Ratio enim æqui &  
boni, & natura bonæ fidei judiciorum exigit, hoc casu suc-  
curri accipienti, ut tamen accipiens ob causam datorum repe-  
tere possit id, quod dedit, *L. 1. §. 3, 4. ff. de rer. permut.*  
(2) ut mercedem, quam promissit det; (3) ut dolum ac levem  
culpam præstet *L. 17. §. 4. ff. de præscr. verb.* (4) ut restituat  
impensas in rem factas.

L.

Permutatio est, quando res aliqua dominii transferendi  
causa datur, ut vicissim res alia accipiatur.

L I.

Hæc in multis cum emtione venditione convenit, in u-  
troque enim contractu locus habet actio redhibitoria, & quan-  
ti minoris, *L. 19. §. 5. de ædil. edit.* in utroque evictionis præ-  
statio *L. 1. ff. L. 1. C. de rer. permut. L. 29. C. de evict.* in utroque  
usucapio *L. 2. C. de rescind. vend. L. 1. §. 13. si quid in fraud.*  
*patron.* utraque est bonæ fidei *§. 28. l. de act.*

L I I.

Differt tamen ab emtione venditione præcipue, (1)  
quod contractus hic sit innominatus, emtio venditio nomi-  
natus, nomen enim permutationis est generale, aliisque ne-  
gotiis conveniens locationi, doti, divisioni, emtioni *L.*  
*20. §. 3. famil. ercis. L. 77. §. 18. de legat. 2. Valer. Max. L. 5.*  
*6. 6.* ibi ut ex millibus denarium singula vasa permutarentur,  
(2) ex hoc contractu demum obligatio nascatur, si causa, h.  
e. dæuo intervenit, emtio venditio vero statim sit perfecta si-  
mul

mut ac partes de re & pretio convenerunt (3) Quod re ex causa permutationis tradita dominium transeat, licet accipiens vicissim non tradiderit, vel fides de re recipienda non fuerit habita. *arg. L. 4. C. de rer. permut. secus in emptione venditione. §. 41. l. de R. D.* (4) quod in permutatione dominium utrinque transferri debeat *L. 1. §. f. de permut. secus in emptione venditione, in qua satis est, prestare rem habere licere L. 30. §. 1. de act. emt.*

LIII.

Possunt permutari res omnes, quæ alienari possunt corporales & incorporales.

LIV.

Potest etiam permutari pecunia, quatenus non ut quantitas intervenit, sed ut species vel corpus cum re inestimata *arg. L. 51. de legat. 1. L. f. de condit. caus. dat.* quin etiam pecunia cum pecunia, v. g. *Münz mit Ducaten* / ut & res fungibilis cum re fungibili ejusdem vel diversi generis *L. 7. C. de rer. permut.*

LV.

Non potest permutari res aliena tanquam sua, cum contractus hic datione, id est, domini vel alterius juris in re translatione perficiatur *§. 14. l. de act. L. 1. §. 1. 3. & 4. de rer. permut. L. 75. §. f. de verb. obl.*

LVI.

Re itaque aliena tradita, interest an dans eam dederit, an accipiens, an uterque.

LVII.

Si dans eam dedit, atque accipiens nondum implevit, dans non habet actionem præscriptis verbis ad id, quod interest, cum causa ab ipso non intervenerit, sed conditione ex æquo & bono, quasi causa non secuta sit, rem repetere potest. *L.*

est. *L. 1. §. 3. de rer. permut. L. 65. §. 4. de condict. ind.* Si vero accipiens implevit, hic secundum naturam permutationis actione in factum experiri potest ad id, quod interest, rem alienam datam fuisse, licet res evicta nondum sit, cum statim ab initio transferendum sit dominium vel etiam rem suam conditione causa data causa non secuta repetere potest *L. 1. §. 3. & 4. ff. L. 4. C. de rer. permut. cum datum non censeatur, quod datum non durat.*

*LVIII.*

Si accipiens dedit rem alienam, cum dans propriam dederit, dans actionem in factum habet ad interesse *L. 1. §. 1. ff. L. 1. C. de rer. permut.* vel rem datam condicere potest, quin etiam rem potest usucapere *L. 4. §. 17. de usurp. & usucap.* habet actionem publicianam in rem *L. 7. §. 5. de public. in rem act.*

*LIX.*

Si uterque rem alienam dedit, actio in factum locum habet, *L. 1. §. 1. de rer. permut.*

*LX.*

Re tradita accipiens vicissim dare vel interesse praestare debet, licet res tradita perierit, cum hac accipienti ceu domino pereat.

*LXI.*

Quodsi res vicissim danda perierit, interest an dolo ac levi culpa aut mora debitoris perierit, an absque dolo, levi culpa vel mora debitoris.

*LXII.*

Si dolo, levi culpa aut mora debitoris perierit, dans actione praescriptis verbis ad id quod interest experiri potest *L. 5. de praescr. verb.* vel etiam rem suam conditione repetere potest.

*LXIII.*

Si absque dolo, culpa levi aut mora debitoris perierit, qui dedit



dedit nec actionem præscriptis verbis habet, nec conditionem sine causa v. tamen *L. per. de condic. ob caus. dat. maxime hodie.*

*LXIV.*

Ex hoc contractu datur actio præscriptis verbis, quæ competit ei, qui dedit ejusque hæredi contra eum, qui accepit, ejusque hæredem, ut vicissim det, quod promissum est, vel id quod interest præstet.

*LXV.*

Hæc actio non datur ad rescindendum contractum, ubi enim alter non implet, rescissio conditione causa data causa non secuta petitur.

*LXVI.*

Præter hos recensitos contractus innominatos plura sunt negotia, ex quibus actio præscriptis verbis competit, veluti cum incertum est ac dubium, quis contractus sit initus, tunc enim actio præscriptis verbis competit *L. 1. pr. de æstimat.* itaque si tradidi tibi vestimenta nulla mercede ab initio constituta actio hæc competit *§. 1. I. de loc. L. 22. ff. de præscr. verb.* sed & competit si rem tibi inspiciendam dedi, tu vero dicas te perdidisse & ego ignorem ubi sit *L. 17. §. 2. de præscr. verb.* si quis sponsonis causa annulos accepit, nec victori reddidit *L. 17. §. 5. de præscr. verb.* adde *L. 1. §. 2. L. 10. L. 24. ff. de p. v.* natura enim rerum inductum est, ut plura sint negotia quam vocabula *L. 4. de p. v.* ex quibus omnibus cum deficient vulgaria atque usitata actionum nomina præscriptis verbis agendum est. *L. 2. cod.*

F I N I S.

INSTITUTIONES  
DE RE IURIS  
LIBER PRIMUS

De personis  
De rebus  
De actionibus

De iudiciis  
De testibus  
De legibus

De iurisdictione  
De officio iudicis  
De iuramento  
De iudicio  
De iurisdictione  
De officio iudicis  
De iuramento  
De iudicio

T M I S

BRONNEN  
DE RE IURIS



Marburg, Diss., 1719-24

ULB Halle 3  
003 599 06X




7A → OLSb. †  
Nur 4 H. 11 Stück vorliegen

VD 8







577.  
21  
1724/1.  
ASSERTIONES IVRIS FVNDAMENTALES.

DE

CONTRACTIBVS  
INNOMINATIS,

QVAS

PRAESIDE

DN. IOHANNE GEORGIO  
MVLHAVSE,

I. V. D. & P. P. O.

IOHANNES GAUDENTIVS  
KRÜPER,

FVLDENSIS, AVTOR & RESPONDENS,

DIE XX. IVNII MDCCXXIV.

IN AVDITORIO IVRIDICO

HORIS CONSVETIS

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT.

